

**Guilbert, André-Louis - candidat /
Demours, Antoine-Pierre - président /
Guilbert, Louis-Claude - auteur. - An
Bubones Febribus malignis
supervenientes immaturi, causticis
aperiendi ?**

1792.

***Paris : Typis Quillau,
Saluberrimae Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2337a n°198***

142

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCE,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

BIU Sante
Medecine
Paris

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA*,

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS

*manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesima tertiâ
mensis Februarii, anno Domini M. DCC. LXXXII.*

M^o. ANTONIO - PETRO DEMOURS, Doctore Medico,
Regis Oculario Medico designato, Præfide.

An Bubones Febribus malignis supervenientes immaturi, causticis aperiendi?

I.

EA est humani corporis innata facultas, ut non solum variis emunctoriis, si quid intus venenosum subrepserit foras eliminare allaboret; sed etiam dum ad partes externas humorem morbificum deponit, viscerum compagem immunem ab ipsius labe præstet.

Hocce virium naturæ medicatricium effectus quotidiana evincit observatio, & eos sub evacuationum, vel Bubonum criticorum nomine Clinici designaverunt. Non utrumque tamen æquè salutare præsidium & quæ per abscessus fiunt judicationes. difficiliore iis quæ per evacuationes absolvuntur. Ipsi protuberantibus mirefcit mali ferocitas, sed nimium ne crede maleficæ quieti, nondum fractus omnino jacet hostis, & brevi atrocius adhuc desæviet. Non enim digesta materies hos tumores efficit, & cum ipsi raro aut semper difficile in suppuratum abeant, profundius latens deposita mali fomes resorbetur. & ut sæpius evenit, inopinato in pulmones aut cerebrum decubitu ægrum de medio tollet.

Causticis itaque immaturi sunt aperiendi Bubones, si ipsorum ope, laudabilis suppuratio celerius promoveatur, & facilius inde materiæ morbiicæ pateat exitus.

I. I.

QUOD crudum in vasis contentum morbum constituit, humoribus nostris assimilari si nequeat, coctione indiget ut expellatur, sic etiam si capillaribus impactum hæreat, & resolvi non possit nec debeat, necessum est ut pars quam op-

(*) Parisiis propugnata, anno 1766, M. Ludovico - Claudio GUILBERT, Bacc. Theses autor.

pugnat, ortâ inflammatione, suppuret. Mechanismus autem quo talia perficit natura, aliis ne perscruteris, in ipsâmet febre reperies. Itâ postquâ in frigore febrili extremorum resistentia vi cordis prævaluit, victrix, calore adaucto, vis cordis extremorum prævalet. Hæc autem diu concipi nequit, quin ex crebriori attritu sanguinis à corde affluentis & à vasis obstructis repulsi, major adhuc calor exurgat. Ut enim à circuitu humorum per vasa elastica naturalis calor pendet, sic in febre quò magis compactus est sanguis qui influit, quò magis angusta vel obfessa sunt vasa quæ renituntur, quò manifestior velocitas motûs qui talem sanguinem per talia vasa pellit, eò insigniora sunt caloris incrementa. Nec potest crescere motus sanguinis quin Encephalon quod novas cordis suppetias perpetuò mittit, frequentius adiens, vires ipsius adhuc augeat per nervos majori jam spirituum copiâ instructos; itâ sensim vincitur circuitûs obstaculum & stagnantia attritu solvuntur, coquuntur, & criticè variis colatoriis expelluntur.

Similiter etiam cum in glandulæ cujusdam parenchymate decubuit febrilis incendiî fomes, vasa obstruit, distendit, stimulat, inflammat, rotundus, rubeus, calens & dolens tumor adest, febris topica nascitur. Sed adauctis arteriarum oscillationibus, si itâ attenuari nequeat obstructionis causa, ut resolutionis spes nulla sit, disrumpuntur vasa, fluidum effundunt, quod cum humore qui infixus erat immixtum, eum solvit, involvit, & mutat in homogeneam illam materiem puris nomine insignitam.

Hæc autem perficiuntur si sua tempora debite percurrat ipsa febris, si sufficiens & bonæ notæ sit tumoris inflammatio. In febribus verò mali moris, ubi septicum miasma vitales spiritus & humores inficit, vasorum actio languet, fluida non subacta vapescent, coctio nulla fit aut ferè nulla, stasibus ad partes nobiliores obortis, in conspectu procumberet æger, nisi tum factâ metastasi in glandulis sub cute delitescens, projiceretur deleterium, & Bubones producerentur. Multum tamen adhuc abest ut tunc sibi sola sufficiat natura. Celerem in tumore suppurationem promovere debet; lentè si procedat, timenda deleterii resorptio, tragœdias certò allatura. Sed maligno miasmatis afflatu fractus est vasorum elater, vires vitæ enervatæ tanto operi impares evadunt. Tumor enim non acutè dolet, non rubet, nec protuberat. Calor in ipso mediocris est, & quàmvis maturantia adhibeas efficaciora, pus raro aut semper difficile efformabitur, rariùs adhuc & difficiliùs exitum sibi parabit ad exteriora. Quid igitur faciendum? resolutionem tentare piaculum est, suppurationem itaque promoveas.

III.

IN causticis autem ea est virtus, ut suppurationem accelerent. Causticum enim dicitur quod corpori applicatum, fibras corrodit & escharram producere valet: duplex est, actuale nimirum, & potentiale. Actuale in ipsomet igne reperies; in triplici naturæ regno potentiale. Sed non satis erat ut obvia tot corpora, caustica suppeditarent: Chimici labores etiam alia ex alkalinis acidisque salibus elicerunt. Earum in Chirurgiâ usus præcipuè invaluit, & ignis ab omnibus ferè ablegatur. Chimica namquæ caustica efficaciore actione indicationibus præstò sunt; opportunè applicata, humido exhalante solvuntur, spiculis suis salinis fibras cutis diffundunt, tumoris partem cui adhærent, erodunt, & cum eâ escharram efformant. In vicinis intereâ partibus solidorum tonum erigunt, inflammationem languentem suscitant, & calorem adaugent. Ea verò sunt quæ necessariò puri natales præbent. Excitatis reverà applicatione caustici his motibus, pus sub escharrâ natum, eam pellit, abscessus rumpitur & in purulentum humorem conversa deleteria materies, quâ datâ portâ ruit. Quæ postea sequitur suppuratio, eò securiori gressu

procedit, quò tardius exsiccat. Sic tota glandulæ substantia quod vitiosi continebat effundit, non inanis ipsius resorptionis metus evanescit, & si quid adhuc virulenti cum humoribus volveretur, in partem minus resistentem decumbit, undè perfecta crisis, & absoluta curatio.

I V.

AT in febribus malignis, ab incisione Bubonis ope scalpelli tot commoda ne speres. Si quid purulenti jam adsit in tumore, ipsa evacuabitur, sed quod in anfractuosis glandulæ recessibus hæret, suppuratione ut retulimus, indiget, & absque inflammatione pus non generatur. Medium itaque eligendum est, cujus stimulo phlogosis illa salutaris nascatur. In incisione verò illud non invenies. Semel enim incisione facta, debilitata jam vasa magis adhuc relaxantur, extincta fere vi vitæ, vulneris labia non inflammantur, ichorem loco puris eruant, subsidet tumor fere gangrenosus, & delitescencia lethalis sequitur. Caustici verò actione non solum humori jam collecto ad exteriora via panditur, sed cæteris etiam, ut ostendimus, occurritur indicationibus. At in rebus Medicis quid ratiocinia valent, nisi confirmentur experientia? Eò certiori etiam fundamento nititur illa Bubones aperiendi methodus, quò ab omnibus fere clinicis feliciori cum successu usurpatur. Nos quoque salutare ejus effectus experti sumus in illa quæ Castellis-Haflorum defævit epidemia per autumnum anni 1760 & integram subsequentem hiemem. Ejus historiam paucis exarare liceat.

Regis Exercitus, in quo tunc Medici munereungebamur versùs Augusti finem, propè illius urbis moenia castra sua ad aquilonem posuerat. Monticulum ala dextra occupabat, centrum declive solum, ala verò sinistra demissum paludosum, in cujus vicinia mons erat densis obsitus arboribus.

Ad Octobrem usque mensem satis amœna serenaque fuerat tempestas, nec Dyfenterias, Febres biliosas remittentes & intermittentes admodum lethales effecerat. Sed eo sub tempore Auster aut Africus continuò flans, constitutionem pluvis ita foetam & idèò insalubrem attulit, ut benigna morborum species in Febrem malignam putridam mutaretur. Quamvis malè sanà sic fuerit tempestas, castris tamen se continuit Exercitus ad medium usque Novembrem. Aegrorum etiam numerus quotidie increbuit. Alæ sinistrae Legiones, ut in humidiori loco degentes, morbo præcipuè infestabantur, & talis erat ipsius apparatus:

Incipiente morbo, lassitudinibus dolorificis tibias imprimis conquassantibus ægri laborabant, & frigoris calorisque vicissitudines experiebantur. Pulsus erat debilis, citatus, & capitis dolor immanis in orbitarum fundo ita sæviebat, ut oculos aperire vix poterant; lingua flavo viridescente sedimento cooperta ad radicem, in apice intensè rubescebat. Os interea amarescere, vultus pallore infici. Respirationem sicca tussis divexat, & pondus ad cardiam eam difficilem efficit. Tumor ventriculus, & eum nausea & vomitiones excruciant. Vermes œsophagum adeuntes, ore egrediuntur, dejectiones variæ, urinæ tenues, interdum turbidæ. Cutis sicca, exanthemata tunc rara, & semper symptomatica.

Sed ingravescente morbo, crusta nigrâ lingua tegebatur: ad pectus delata morbosa materies symptomatica pleuritidem, aut peripneumoniam mentientia inducebat; si cerebrum impeteret, delirium nervosæque symptomata, certa mortis imminetis auguria.

Ast si cutis, quæ hucusque sicca fuerat, sudore madesceret, vel parotides protuberarent, aliquid boni præsagiendum erat. Cum sudoribus enim efflorescebant exanthematicæ eruptiones, & cardiacis antisepticis adjuta natura crîsim absolvebat. Nec Emolientia, maturantia vel exquisitissima, ad suppurationem parotides con-

4

ducebant, nec feliciori successu ferro incidebantur. Ad causticum ut ad sacram salutis anchoram confugiendum erat, & meminisse semper juvabit, ejus opę permultos ex orci faucibus evasisse.

Cætera in decursu morbi illius rutridi adhibitâ de industriâ prætermittimus auxilia, ut quæ ad scopum minimè collarent.

V.

NON indistinctè tamen applicanda sunt caustica. Si enim puris fluctuatio jam in Bubone persentiat, anteponenda sanè lanceola, & tumor incidendus. Si calor, inflammationis individuus comes, humoris coctioni sufficere videatur, tunc etiâ à causticis abstinendum.

Ast, iniquies, in his quidem casibus ubi caustica suademus, nonnè satius esset stimulantibus topicis, calefacientibus, phlogosim & suppurationem promovere, quàm ægrum diris, quos causticum infert, doloribus divexare? Horumce medicamentorum actio, nec certa, nec secuta nobis apparet; etenim calore quem in Bubone excitat in schirrodeam indolem eum convertere potest, vel spasmodicâ vasorum constrictione, si tenuis & ichorosus sit humor delapsus, ipsius delitescentiæ ansam præbebit. Quod verò ad dolorem spectat, non adeò immanis est in parte deleterio morbi jam debilitatâ, ut tolerari nequeat. Vasorum tamen actionem & tonum erigunt etiâ caustica, sed ab ipsis non timenda, ut à calefacientibus materiæ resorptio, viam enim simul aperiunt quâ foràs amandari potest. His igitur perpensis, concludimus:

Ergo Bubones Febris malignis supervenientes immaturi causticis aperiendi.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

JEANNET DES LONGROIS,
Chirurgia gall. id. an. 1784-85 Professor.

SIMMONET, *Rei Herbariæ ann. 1784-85, & Physiologia Professor.*

DOUBLET, *Physiolog. & Pathologia Professor, annis 1783-8.*

NAVIER.

BOURDOIS DE LA MOTTE,
Chirurgia gall. id. an. 1787-88, Professor.

DEJUSSIEU.

THIERRY.

DORIGNY, *Rei Herbariæ an. 1754-55, Professor.*

COSNIER, *Chirurgia gall. id. ann. 1754-55, Chirurgia l. idiom. an. 1755-56, Physiol. & Pathol. ann. 1757-59, iterum Chirurgia lat. id. an. 1762-63, Professor.*

Proponebat Parisiis, **ANDREAS LUDOVICUS GUILBERT,** Parisinus, è Regiâ Societate Agriculturæ Parisiensi, è Societate Philomathicâ, Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus.

Ab Octavâ ad Meridiem.

Typis QUILLAU, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Typographi. 1792.

